

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Acceptio personarum q
cum fonte primo

Clamat pauper et nullus exaudit;
loquitur diues et quilibet applaudit.
Diues locutus est et omnes tacuerunt
et uerbum illius usque ad nubes perducunt.
Pauper locutus est et dicunt: Quis est hic?
Et si offenderit, subuertent eum.

Clamat uim paciens et nullus exaudit;
uociferatur et non est qui iudicet.

Diuiti dicunt: Tu sede hic bene;
pauperi uero: Tu sta illic
uel sede sub scabello pedum meorum.

Innocencius ibidem (libro II. de uilitate
condicionis humane).

Clamat pauper et nullus exaudit;
loquitur diues et omnis applaudit.
“Diues locutus est, et omnes tacuerunt,
et uerbum illius usque ad nubes producit;
pauper locutus est, et dicunt: ‘Quis est hic?’,
et si offenderit, subuertent illum”
(Eccl. 13:28-29).

→ “Clamat uim paciens et non est qui exaudiat;
uociferatur et non est qui iudicet”
(Iob 19:7). Si forte pauperum causam suscipitis,
illos remisse foveatis; cum autem diuitum
causam assumitis, illos pertinaciter adiuuatis.
Pauperes despicitis, diuites honoratis;
istis reuerenter assurgitis, illos despiciabiliter
conculcatis. “Si introierit in conventu vestro
uir aureum habens anulum in veste candida,
introierit et pauper in sordido habitu,
et intendatis in eum qui indutus est
ueste preclara et
← dixeritis ei: ‘Sede hic bene’,
pauperi uero dicatis: ‘Tu sta illic’,
aut ‘Sede sub scabello pedum meorum’,
nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis
iudices cogitationum iniquarum?” (Iac. 2:2-4).

Innocentius III, *De miseria condicionis
humane*, 2.4 (R.E. Lewis ed., pp.149/151, ll.20-
37).